



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Episcopo Avtisiodorensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

fuerint, Episcopus animarum curam committat, ut de plebis quidem cura Episcopo, vobis autem de temporalibus debeant respondere. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre &c. usque omnimodis profutura. Salva sedis apostolicæ auctoritate & diocæsani Episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona &c. usque subiaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus &c. usque in finem. Amen. Datum Laterani per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis, S. R. E. Cancellarij, VII. Idus Maij, Indictione IX. incarnationis dominicæ anno MCCVII. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno decimo.

EPISCOPO AVTISIODORENSI.

TVA fraternitatis discretio postulavit per sedem apostolicam edoceri qualiter contra Iudæos illos procedere debeas qui cum villas, prædia, & vineas emerint, decimas ex eisdem Ecclesiis & personis ecclesiasticis debitas reddere contradicunt, cum per censuram ecclesiasticam compelli nequeant, quam continent. Nos autem inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd terræ Princeps est sollicitè admonendus ut ipsos ad solutionem earum tradita sibi potestate compellat. Quòd si forsitan ille id exequi non curaverit, sub districtione anathematis interdendum est Christianis ne habeant commercia cum eisdem, donec satisfecerint de præmissis. Quæsvisti præterea ut cum interdum Canonici, quibus studiorum gratia est indultum ut in absentia sua fructus percipiant præbendarum suarum, accepta licentia se ad villas transferant vel castella in quibus nullum est vel minus competens exercitium studiorum, utrum præbendarum suarum fructus sint talibus conferendi. Ad quod breviter respondemus, eis qui hujusmodi fraudem committunt, cum fraus & dolus nemini debeat patrocinium impertiri, præfatam indulgentiam competere non debere. Ceterum cum in diocesi tua sint quamplurimi usurarij, de quibus minimè dubitatur quin sint usurarij manifesti, contra quos propter timorem Principum & potentum, qui tumentur eosdem, non apparet aliquis accusator, nec iidem sunt per sententiam condemnati, qualiter proce-

Tom. II.

dere valeas contra ipsos, oraculum duxisti sedis apostolicæ requirendum. Nos autem fraternitati tuæ taliter respondemus, quòd licet contra ipsos non appareat accusator, si tamen aliis argumentis illos esse constiterit usurarios manifestos, in eos poenam in Lateranensi Concilio contra usurarios editam liberè poteris exercere. Datum Laterani XVII. Kal. Iunij, anno decimo.

MAIORI DECANO ET PRIORI
Colonienfi.

Postulastis per sedem apostolicam edoceri quis suffraganeus Colonienfis Ecclesiæ, dum venerabilis frater noster B. Archiepiscopus vester in vinculis detinetur, debeat judicare, si fortè à Clericis suis iidem fuerint ad Coloniensem Ecclesiam appellati, & quid fieri debeat de beneficiis vacantibus, quæ ad donationem noscuntur ejusdem Archiepiscopi pertinere. Nos ergo inquisitioni vestræ breviter respondemus, quòd per Legatorum nostrorum sollicitudinem, quos in Theutonium destinamus, eundem Archiepiscopum restituendum speramus, auctore Domino, libertati, qui tam in iis quam in aliis suum officium exequetur. Consequenter etiam quæsvistis, utrum Clerici, qui, dum essent excommunicationis vinculo innodati, ecclesiastica beneficia sunt adepti, eadem, postquam absolutionis beneficium obtinuerint, licitè valeant retinere, postulantes nihilominus per sedem apostolicam explicari qua poena corrigi debeant Abbates, Abbatissæ, ac alij Ecclesiarum Prælati, qui scienter Clericis excommunicationi subiectis ecclesiastica beneficia contulerunt. Ad quæ vobis taliter duximus respondendum, quòd cum excommunicatis communicari non debeat, Clericis excommunicationis vinculo innodatis ecclesiastica beneficia conferri non possunt, nec illi ea valent licitè retinere, nisi forsitan cum eis fuerit misericorditer dispensatum, cum ipsa non fuerint canonicè assecuti. Illi verò qui scienter ipsa beneficia talibus contulerunt, tamdiu debent à beneficiorum collatione suspendi donec super hoc veniam consequi mereantur, ut puniantur in eo in quo delinquere præsumpserunt. Quæsvistis præterea qualiter puniri debeat Clerici ac monachi necnon etiam moniales Ecclesiarum conventualium qui post latam interdicti sententiam in locis suppositis interdicto præsumpse-

E

Epist. 62.
De decimis Iudæorum, fructibus scholarum, & usurariis.

Cap. Tunc in interdictis. De Clericis non re-

Cap. Cum in interdictis. De usurariis.

Epist. 62.
De beneficiis excommunicatis & interdictis &c.

Cap. Consequenter. De Clericis excommunicatis.